



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia VII. De Raro & Denso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)


potest ad quartam partem subiecti calorem extendere. Re ita composita recte assignatur à priori ratio conclusionis à posteriori cognita in Zenonis sententia, quæ ratio conclusionem probat eodem modo in opinione constituyente continuum ex infinitis partibus.

4 Dicendum est secundò, intensiorem partem distantiam ab agente præcipuo non esse continuum. Hanc conclusionem pro Zenonitis, & Aristotelicis probat ratio facta in præcedenti. ex qua illam euidentem infero. Ad hoc ut intensio fiat in parte distantia per additionem vnius gradus necessum est fieri in partibus proximioribus per additionem plurium, quæ non potest simul ab agente produci: ergo ut producat vnius gradus in parte distantia, spectandum est tempus, quo intensio plurium graduum fuerit producta in partibus proximioribus agentis, & quo excessus determinatus sit productus in parte anteriori immediata illi, in qua intensio est facienda; cum verò hic excessus, & illa intensio fiant in tempore diuisibili, necessum est ut pars remota subiecti illud expectet ad qualitatem in se recipiendam.

5 Dicendum est tertio, intensiorem fieri continuè in partibus proximis passis. Hanc conclusionem trado pro Zenonitis, & Aristotelicis, quam sic probò. In parte proxima agentis nulla potest assignari ratio propter quam agens producat intensiorem in instanti sequenti quam non potuit in hoc producere in quo nihil produxit: ergo si illam poterit producere in sequenti potest in isto; ergo in hoc producat intensiorem, vel in isto illam producere nequit, neque in sequenti, illam efficere valebit. Quod docet Arriaga contrariam qualitatem exigere conferuari in præsentia contrarij per tantum tempus, quo cessat actio agentis, & illo transacto de nouo incipere, quia iam expletum fuit tempus, quo qualitas contraria petebat durare, absque fundamentum, & sine necessitate dicitur.

6 Obiicies ex Arriaga: Intensio qualitatis in parte proxima agentis est continua; ergo in ictu oculi tot indiuisibilia qualitatis intense acquirere pars subiecti, quot indiuisibilia spatij percurrit Sol in eodem tempore. Respondeo concedendo consequentiam, nullum enim est inconueniens asserere manum mediocriter calidam, habere tot indiuisibilia intensiōis qualitatis quot extensiōis spatium vnius leuæ, quia hæc indiuisibilia cum sint naturæ exilis in magna multitudinē leuiter immutant subiectum, ac proinde maximus illorum numerus requiritur, ut mediocriter pulsent potentiam, & sensationem, notabiliter dissonam, vel consonam pariant. Si obiicias intensiōem partis propinque agentis durare per spatium vnius horæ fore penè infinitam, dicam ego nullam intensiōem talis partis propinque durare per spatium vnius horæ, quia minor alio agens producat, quidquid potest producere, neque expectantiam aliquam contra me poteris inuenire.

7 Dicendum est quarto, agens producentem simul in parte proxima maiorem intensiōem excessu requisito ad operandum continuè extendere qualitatem vique ad partem illam, in qua intensio in instanti acquisita minor sit excessu requisito ad operandum. Rem explico, produxit calidum in primo instanti per quatuor partes subiecti, in prima quatuor gradus qualitatis, tres in secunda, duos in tertia, vnum in quarta: quibus productis, prima produxit quidquid potuit in secunda, & secunda in tertia, &c. quapropter requiritur ut postea agat quælibet pars anterior in subsequente, excessus aliquis determinatus, pono esse trium graduum, si agens in secundo instanti tantum producat duos in prima, nihil in secunda producat in illo instanti, si verò produxit tres in illo instanti, producentur duo in secunda sed nihil in tertia, quia secunda non habet excessum requisitum ut agat in illam. Si verò in secundo instanti quatuor produxisset in prima parte, in eodem producerentur tres in secunda, duo in tertia, & nihil in quarta, propter eandem rationem. Et quo maior intensio simul producat in prima parte subiecti, per partes plures illius intensio est continua; cum verò non possimus assignare intensiōem quam simul producat in prima parte non possimus partes annumerare, in quibus intensio est continua, sed tantum asserimus eo per plures partes fieri continuè, quo fortius est præcipuum agens, & intensiorem qualitatem simul producat in parte illi immediata.



CONTROVERSIA VII.

De raro & denso.



VASTIO est an raritas, & densitas ad qualitatem pertineant, & consequenter an rarefactio, & condensatio ad alterationem spectent: deinde non desunt aliqui, qui existimant viuientia per rarefactionem tantum augeri, & per condensationem minui, ideo controuersiam iustitio distinctam ab illis, in quibus de nutritione, & alteratione disserui.

PUNCTVM PRIMVM.

Definitur rarum, & densum, totiusque rei difficultas proponitur.

R Arum definiuit Aristoteles: Quod sub magnis dimensionibus parum habet materie: densum verò, quod sub parvis dimensionibus multum materie habet. Vtrumque inuenies in corpore nunc calido, & postea frigido, oleum enim quod frige factum parum spatij occupabat, nunc calefactum magnum spatium implet, ex hoc in fero idem corpus eodem modo se habens posse dici rarum respectu vnius, & densum respectu alterius, vel vtrumque respectu sui ipsius, secundum diuersos status. Hoc inspicies si ponas tria corpora entitatiuè æqualia secundum substantiā, & quantitatem, quorum vnum occupat tres vlnas spatij, aliud quatuor, & quinque aliud: corpus occupans quatuor vlnas spatij rarum dicitur respectu corporis, quod tres tantum replet, & densum respectu alius, quod quatuor adimplet. Idem dicito de eodem corpore quatenus potens est ad tres spatij vlnas contrahi, vel ad quatuor extendi. Hæc dixerim iuxta propriam sententiam, quam postea tradam, & iuxta sententias aliorum, qui raritatem, & densitatem non formaliter in qualitate constituunt, hi enim possunt asserere has qualitates specie distingui, & corpus occupans quatuor spatij vlnas differre à corpore quinque replente, quia remissiorem habet raritatem, & vtrumque differre à corpore, quod tres tantum attingit, quia hoc habet densitatem & illa raritatem qualitates inter se species differentes.

Suppono in omnium opinione rarefactionem, & condensationem fieri non posse, sine motu locali, & sine acquisitione nouæ præsentia, siue rarefactio, & condensatio in tali motu, & raritas, & densitas in præsentia per talem motum acquisita consistant, siue non in præsentia, sed in alia qualitate, seu alia quacumque entitate constituendæ sint. Ratio est manifesta, ut corpus densum rarefiat, extendi ad maius spatium necesse est, & ut condensetur debet contrahi ad minus spatium, quam antea occupabat, sed non potest corpus maius spatium acquirere, & acquisitionem relinquere, & minori contineri sine motu locali: ergo in rarefactione, & condensatione motum localem intercedere necesse est. Dixi rarefactionem, & condensationem fieri non posse, sine motu locali, quod intelligendum est, quando corpus acquisiuit raritatem, & densitatem, quæ prius tempore priuatum processerat. Si verò in eodem instanti, quo corpus creatur, vel producit rarefiat, vel densetur, tunc illa rarefactio, seu densatio non includit motum localem, sed dicit productionem præsentia quæ motus diceretur, si subiectum in instanti præcedenti existisset priuatum tali præsentia. Ex his colligo raritatem & densitatem semper præsentiam importare corporis rari, aut densi, & rarefactionem, & condensationem huius præsentia productionem.

His positis totum difficultatis negotium est, quomodo idem corpus habens easdem partes quantitatis possit modo pauciores, & postea plures spatij partes occupare, siue replicatione partium in eodem spatio, & siue repetitione eiusdem partis in diuersis spatij partibus. Ratio dubitandi desumitur ex eo, quod corpus quantitatum habet partes, siue finitas, siue infinitas, in se certas & determinatas:

R r 4 suppono

suppono claritatis gratia, has esse viginti quæ viginti aliis spatij partibus respondebunt nulla facta condensatione, aut rarefactione. Rarefiat hoc corpus: tunc respondebunt illius partes viginti & quatuor spatij partibus: ergo cum partes occupantes sint tantum viginti, & partes spatij occupati viginti & quatuor necessum est partes aliquas, scilicet quatuor occupare duplicem spatij partem, & consequenter duplicem præsentiam habere. Rursus si supponamus corpus illud occupans viginti partes spatij condensari, illius partes occupabunt sex supra decem spatij partes: ergo cum partes corporis sint viginti, & partes spatij tantum decem & sex, necessum est quatuor partibus spatij correspondere octo partes corporis, quod sine penetratione non continget, quia duæ partes occupantes idem spatium necessarium sunt penetratæ, cum penetratio nihil aliud sit, quam replicatio corporum in eodem spatio. Hoc opus hic labor est.

PUNCTUM II.

Nonnulla sententia reiciuntur.

1 Refertur sententia aliquorum asserentium in corpore raro reperiri cavitates quasdam, ratione quarum maius spatium occupat corpus, quasi extensivè, quia extenditur ad partes magis inter se distinctas, non verò entitativè, quia idem numero spatium occupat, siue rarum, siue densum, quia quando corpus densatur replet illas cavitates, & relinquit partes extraneas spatij, quas occupabat, eodem modo ac accidit in corpore habente poros aëre repletos, quando expulso aëre clauduntur. Dicitur etiam secundum hanc sententiam inconueniens non esse minima aliqua spatia vacua concedere: his enim non impeditur influxus cælestis in corpora sublunaria.

2 Nescio fuisse hanc opinionem alicuius probati authoris, & cuiuscumque sit à nullo sustineri potest, sunt enim frequentes experientiæ, quibus suadetur naturam vacuum etiam minimum abhorre, si enim aliquod, etsi minimum permitteret, nunquam vnum corpus aliud traheret, ad replendum vacuum: quia posset per brevissimum spatium ab illo separari, quin illud moueret, cum parum illud vacuum natura non abhorreret, semel tamen illo vacuo quantumvis minimo interposito, nullo modo posset idem corpus influere in aliud, illudque mouere. Dices, vnum corpus, posse separari ab aliquo, secundum aliquas partes, non verò secundum omnes. Contra: omnes partes corporis quanti (pono hoc non esse viuens organicum) sunt eiusdem rationis. Ergo si hæc pars potest ab alia separari nullo corpore interposito, illa poterit eodem modo separari, & sic de aliis.

3 Secunda sententia est Scoti in 4. dist. 22. quaest. 4. ubi asserit, in rarefactione novas partes quantitatis produci, & in condensatione nonnullas ex antiquis corrumpi. Scotum sequuntur Gotsfredus, & alij apud Conimbric. lib. 1. de generatione cap. 5. quaest. 17. art. 2. Reicitur à plerisque hæc sententia: quia nulla potest assignari causa nouæ productionis, & corruptionis quantitatis, ac proinde utraque immerito, in condensatione & rarefactione adstruitur. Rationem, quam probo, virgeo in condensatione. Nullum agens naturale, per se intendit corruptionem alicuius entitatis, sed per productionem, & ratione rei productæ secundario corruptiones contingunt: sed nihil potest produci ratione cuius quantitas corrumpatur: Ergo quantitas à nullo agentis naturali corrumpi potest. Minorem probo: quatuor primæ qualitates, & reliqua accidentia, quæ hucusque nouimus non opponuntur cum quantitate, sed rectè illi coherant: ergo ex eo, quod hæc accidentia producantur, non potest secundario sequi corruptio quantitatis, quia ex productione alicuius terminantur secundario sequitur corruptio alius formæ impossibilis cum illo: Ergo quantitas, quæ cum nullo accidenti impossibilis est non corrumpitur ex eo, quod hæc vel illa accidentia corrumpantur. Robur rationi addit sententia, affirmans quantitatem esse subiectum accidentium, quam probaui, Controuers. I. Punct. 2. ex hac sententia argumentum fortius instauro: accidens supponit quantitatem tanquam subiectum: ergo non potest esse destructivum illius, implicat enim aliquod destruere existentiam, quam supponit, & exigit, ut per se notum est. Dices, quantitatem esse diuisibilem in partes

diuersas, & secundum partes illas, quæ remanent facta condensatione recipere accidentia, & corrumpi secundum alias, in quibus accidentia non recipiuntur quarum existentiam non supponunt, sed destruant. Contra: partes illæ quantitatis, quæ corrumpi dicuntur in condensatione, non recipiebantur, neque informatiue, neque inhæsiue, in partibus, quæ remanere dicuntur, in quibus accidentia subieciuntur: ergo partibus quantitatis, quæ corrumpi dicuntur, & accidentibus à quibus corrumpi dicuntur, non erat commune subiectum. Ergo accidentia non possunt corrumpere partes illas quantitatis, quia corruptio fit per expulsionem vnius entitatis ab alia, cui est commune subiectum, & ubi subiectum commune non est, expulsio non potest intercedere.

Secundò eandem opinionem reicio, quia etiam admittatur in rarefactione produci nouam quantitatis partem, difficultas huius materiæ non exhauritur, sed quæ erat in partibus quantitatis respectu spatij, transfertur ad easdem partes quantitatis respectu materiæ. Inquirō enim an in rarefactione producantur cum nouis partibus quantitatis, partes nouæ materiæ, vel partes materiæ antiquæ accrescant nouæ quantitati: si dicatur produci nouas partes materiæ, dices rarefactionem includere creationem materiæ, & generationem formæ, & illam substantialem augmentationem ego appellabo, tantum enim differet ab augmentatione, quam agnoscit Philosophia, ex eo quod in augmentatione illa non noua creatur materia, sed materia alimenti materiæ alito vnitur, in hac verò rarefactione, seu noua augmentatione, non vnitur alito materia alimenti, sed noua illi vnienda creatur, quæ non minus augebitur, neque minus substantialiter, quam augeatur materia alimenti sibi vnita, eadem enim erit augmentatio, & idem augmentum resultabit, siue materia, quæ illi accrescit, antea fuerit sub formâ alimenti, siue in illo instanti creetur, impertinens enim est omnino ad augmentationem hanc, & nunc factam materiam ex qua fit tempore præcessisse, vel nunc primo incipere. Si Deus non producat nouam materiam, in cidis in totam huius materiæ difficultatem, & teneris modum assignare; quo materiæ, quæ modo his partibus quantitatis respondebat cum correspondenti adæquata ex parte vtriusque extremi, & iuxta vndequeque partis distinctæ materiæ cum partæ distinctæ quantitatis, & totius materiæ cum tota quantitate, eadem cum eisdem partibus perseverans possit respondere eisdem partibus quantitatis, quibus respondebat antea, & aliis denuo productis, abque eo quod duplex pars quantitatis simpliciter parti materiæ, vel simplex pars materiæ duplici parti quantitatis respondeat. Hæc est tota huius materiæ difficultas, quæ admittit productionem partium quantitatis eadem remanet in rarefactione, ut ostendit discursus supra factus, & in condensatione admittit corruptionem partium quantitatis, eodem discursu eadem subsistere conuincitur, in utroque enim motu totum fundamentum difficultatis desumitur ex eo, quod componi nequeat extremum inuariatum secundum multitudinem partium posse commensurari cum alio modo pauciores partes habente.

Dices forsitan materiam nullas habere partes à se, sed tantum ratione quantitatis, ac proinde facile posse difficultatem hanc componi, quia cum materia partes habeat à quantitate, quo plures paucioresve sunt partes quantitatis, eo plures paucioresve erunt materiæ partes, & ita semper iuste commensurari poterunt. Multis impetam in Metaphys. Controu. 7. Punct. 2. sententiam asserentem substantiam non habere partes à se, sed à quantitate, quibus solutionem euertam. Verum adhuc illius doctrina de partibus quantitatis admittit difficile rarefactio, & condensatione componitur, per productionem, & corruptionem partium quantitatis: arguo ex principiis ipsa solutione traditis. Substantia ex se ut præcisa à quantitate, partes non habet, neque est diuisibilis: ergo ut præcisa à quantitate, neque est parua, neque magna: Sed ut informata est à quantitate tot partes habebit, ac ipsa quantitas, licet ab hac mutuetur: ergo substantia informata magna quantitate, magna erit, & informata parua quantitate parua erit: ergo non poterit dici in rarefactione paruum quantitatem habere magnam dimensionem, hoc est, magnam quantitatem; quia substantia præcisa à quantitate, ut modò dicebam, neque est parua, aut magna, & ut informata quantitate, æquè magna est: ac ipsa quantitas, & quantitas æquè magna est, ac ipsa præsentia cum secundum hanc sententiam, quotiescunque

cumque additur noua pars presentiae, ad nouam partem spatij, additur noua pars quantitatis, & consequenter substantia aequè magna erit cum presentia; quia quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se, ergo in nullo sensu dici poterit secundum hunc dicendi modum per rarefactionem paruum substantiam magnas habere dimensiones. Vltimò reiicio sententiam Scoti; quia ex illa inferatur ad corruptionem partis quantitatis in corpore densato debere produci aliam partem quantitatis in alio corpore, ut repletur spatium relictum à quantitate corrupta, cuius productionis nulla causa potest assignari.

6 Longius à veritate aberrauit Marfilus in Metaph. q. 9. art. 2. cuius potest tertia annumerari sententia docens in rarefactione, & condensatione totam quantitatem antiquam corrumpi, & aliam totalem produci. Hæc opinio habet in se rationes omnes, quas contra Scotum adduximus, quibus aliam, haud inefficacem addito. Quantitas per rarefactionem producta, vel habet tot partes, quot habebat præcedens, quæ fuit corrupta, vel plures, si tot partes, siue sit eadem, siue distincta, eadem remanet difficultas, quomodo idem numerus partium quantitatis possit maiori, & minori numero partium respondere spatij. Si habet plures, ad quid omnes denuo productas esse constringit Marfil. sufficit produci partes illas, secundum quas quantitas rarefacta, excedit seipsam condensatam. Idem argumentum fit in condensatione, in qua necesse non erit totam quantitatem corrumpi, sed partes illas, quibus quantitas densa minor est se ipsa rarefacta.

7 Quarta opinio est aliquorum recentiorum asserentium in condensatione dari aliquam penetrationem partium inter se, quæ naturaliter non repugnat, dum non sit adæquata omnium partium. Hi recentiores planè succumbunt oneri, defudat tota schola in explicanda rarefactione, & condensatione salua quantitatis impenetratione, & magnū aliquod fecisse putant, & singularè peracutū, quæ excogitasse sententiam absque labore vilo admittentes, quod omnes Philosophi renunt concedere: est ergo hæc lis inter Philosophia terminos dirimenda, si enim illos semel transiliamus, facile erit asserere vnum corpus in duplici loco per rarefactionem præsentari, vel duo in eodem spatio per condensationem penetrari. Fortius eandem sententiam impugno: omnes partes quantitatis sunt homogeneæ: ergo si pars A potest penetrari cum parte B, pars B poterit penetrari cum parte C, & sic de omnibus aliis: ergo si partes aliquæ possunt inter se penetrari, poterunt omnes inter se penetrari, & ingens corpus ad exiguum reduci spatium, ergo si semel admittatur partialis penetratio, debet admitti penetratio totalis vnius corporis cum alio, quod concedere Philosophicum non est, neque nimis Catholicum, sequeretur enim Deiparæ partium purissimo illius vero illefo miraculosum non fuisse.

8 Respondebis, non inferri hanc totalem penetrationem, quia linea, & superficies, in sententia omnium, qui defendunt contium Aristotelicum, penetrari possunt, nunquam tamen ad indiuisibilem reduci. Ad rationem adductam, dicis omnes partes quantitatis esse homogeneas, nullam tamen adæquatè penetrari, sed inadæquatè, & ita non posse omnes, neque illarum aliquam penetrari. Dicam postea de consequenti illato, nunc solutionem adhibeam impugno: pars illa, quæ inadæquatè penetratur est intra aliam secundum illam particulam sui, in qua fit penetratio; sed secundum illud inadæquatum ratione cuius penetratur cum alia, & secundum aliam particulam ratione cuius non penetratur, est eiusdem rationis: ergo sicuti penetrata fuit ratione illius partiuncule inadæquatè, poterit penetrari ratione illius; quod eiusdem partis penetratum non est. Vrgeo: illud quod est penetratum, aut distinctum ab alio quod penetratum non est, siue adæquatum, siue inadæquatum, siue determinatum, siue indeterminatum, siue aliquotum, siue proportionale, est eiusdem rationis cum alio, quod penetratum non est: ergo sicuti potuit illud penetrari, sic poterit aliud eiusdem rationis, quod penetratum non est. Redeo ad consequens quod supra inferebam, quod non inferri suadebatur ex eo, quod linea possit penetrari secundum aliquas partes, non tamè secundum omnes ita ut ad indiuisibilem reducat. Non in tota supra, corpus ad indiuisibile spatium reducendum esse sed ingens corpus posse redigi ad spatium valde exiguum, ne ex prædicta linea aditus solutioni pateret: lineam non posse ad indiuisibilem reduci, ideo est, quia diuisibilis est in

semper diuisibilia, ac proinde, si hæc medietas penetraretur cum alia medietate, & duplo minor euadat linea, & iterum similiter penetratio contingat, quæ iterum duplo minor euadat, & sic in infinitum, semper diuisibilis permanebit, quod eodem fore modo si partes corporis inter se possent penetrari propter eandem rationem admitto. Verumtamen infero hoc corpus penetrandum esse adæquatè cum alio à se distincto, sicuti hæc superficies cum alia à se adæquatè distincta, adæquatè penetratur. Secundò hæc est optima consequentia. Hic palmus lineæ, vel superficiei penetratur cum alio palmo: ergo si partes corporis non obstant, omnes palmi lineæ poterunt inter se penetrari, quia omnes sunt eiusdem rationis: ergo quantumuis longa sit linea, poterit ad spatium vnius palmi reduci. Simile argumentum conficio, in corpore illo inadæquatè penetrato: pars vna, siue digitalis, siue semidigitalis, vel cuiuscumque extensionis sit, penetratur cum alia digitali (pono partem penetratam digitalem esse) ergo omnes partes digitales possunt inter se penetrari: ergo totum corpus quantumuis maximum sit, poterit ad spatium digitale reduci, quod absurdum est, & contra manifestam experientiam. Vltimò in sententia quæ continuum ex puris indiuisibilibus componit, clarè inferitur totum continuum posse ad indiuisibilem reduci, si aliqua admittitur penetratio, quia quantumuis inadæquata fingatur, debet esse vnius indiuisibilis cum alio, & si vnum indiuisibile potest cum alio penetrari, illud aliud poterit cum alio penetrari, & sic de omnibus.

PUNCTUM III.

Iudicium fertur de alia recentiorum sententia.

I Nuenio apud Hurtad. disp. 15. Physic. sect. 5. subsect. 4. & I apud Arriag. disp. 16. sect. 9. initio, relata sententiam quandam, cuius primum inuentorem fuisse quemdam suū Magistrum, ait Hurtadus, quàmque amplexi sunt nonnulli recentiores asserentes dari quædam indiuisibilia inflata in corpore raro, ratione cuius inflationis, vnum idemque indiuisibile potest maius, minùve spatium occupare, & consequenter corpus his indiuisibilibus inflatis, quod rarum dicitur maius spatium occupare, quam idem densum constans eisdem indiuisibilibus non adeo turgidis, sed etiam compressis. Itaque aiunt isti recentiores, punctum indiuisibile, & inextensum formaliter, esse virtualiter diuisibile, & extensum in ordine ad spatium; quia potest spatium diuisibile & extensum occupare: consistit ergo secundum hunc dicendi modum raritas in hac indiuisibilium inflatione, & densitas, & in carentia inflationis, & quo minus inflata sint indiuisibilia corpus densius erit, ita ut illud corpus sit summè densum, cuius quodlibet punctum indiuisibile tantum vnum spatij indiuisibile occupat.

Huius sententiæ Authores modeste asserunt idem indiuisibile posse esse præsens in spatio diuisibili eo modo, quo Angelus secundum suam entitatem indiuisibilis præsens est toti huic cubiculo diuisibili, siue per præsentiam diuisibilem, cuius partes partibus spatij correspondent, siue per præsentiam indiuisibilem, quæ indiuisibiliter secundum se totam, quamlibet spatij partem, & omnes simul totumque spatium respicit. Quod si alio quocumque modo hæc sententia explicetur, omnino erit commentitia, & excogitata punctorum inflatio in æream fictionem resolui necesse erit. Ratione probo prædictam sententiam puncto tribuere præsentiam supra explicatam similem Angelorum præsentia: indiuisibile inflatum occupat spatium, quod antea occupabant duo indiuisibilia non inflata: ergo occupat spatium diuisibile constans saltem duobus indiuisibilibus: cum ergo secundum suam entitatem sit indiuisibile, secundum suam entitatem occupat quodlibet indiuisibile spatij ex duobus quibus correspondet tanquam spatio adæquato; ergo secundum se totum est in vno indiuisibili spatij, & secundum se totum est in altero: ergo reperitur idem indiuisibile corporis in duobus indiuisibilibus spatij: ergo reperitur in spatio diuisibili, sicuti est Angelus totus in hoc indiuisibili spatij, & totus in alio indiuisibili. Si dicas vnum indiuisibile corporis inflatum non occupare duo indiuisibilia spatij, sed vnum inflatum, constituis spatium mobile, & viam occludis toti Philosophiæ in materia præsentia

præsentiarum, & motus, implicat enim de his loqui, nisi per ordinem ad spatium immobile, alioquin dicere poteris, me habiturum eandem præsentiam Matriti, & Romæ, & poteris fingere spatium Matritanum migrasse Romanam, sicuti concipis indivisibile spatij instari, & extendi.

Sed quidquid de spatio neges, in loco reali eodem modo arguo: pono duo corpora inter se non multum distantia, quorum intercapedinem replent octo indivisibilia corporis densi, si hæc indivisibilia rarefiant quatuor sufficient ad hanc intercapedinem replendam: ergo quodlibet indivisibile iam rerum substituitur loco duorum indivisibilium occupantium spatium diuisibile: ergo constituitur in duplici spatio, totum in quolibet, ergo per hanc inflationem eodem modo constituitur indivisibile quantitativum in spatio ac constituitur Angelus. Rem clarius intueberis, si ponas tibi duo corpora supernaturaliter penetrata, quorum vnum habeat indivisibilia inflata, per quorum inflationem rarum constituatur, aliud vero habeat indivisibilia compressa, seu non inflata, & sic densum: quodlibet indivisibile inflatum corporis rari penetrabitur cum duobus indivisibilibus non inflatis corporis densi. Deinde cum quidquid consideretur in puncto, indivisibile, sit totum, indivisibile rarum erit penetratum cum hoc indivisibili denso, & totum cum illo; ergo idem indivisibile, secundum eandem indivisibilem entitatem erit penetratum cum duobus indivisibilibus non penetratis inter se: ergo erit in duplici spatio: nullum enim fundamentum habemus ad probandum Angelum secundum suam entitatem indivisibilem esse in spatio diuisibili, nisi quia est penetratum cum corpore diuisibili, cuius partes inter se penetratæ non sunt.

Male animati in hanc sententiam Hurt. & Arriag. multa congerunt, ut illam expugnent: Hurtad. §. 94. illam appellat paradoxam, & n. 104. eiusdem leuitatem facile videri affirmat. Rationes quibus præcipue author agit contra hanc sententiam petuntur ex eo, quod illa adhuc admissa non satisfaciatur pluribus difficultatibus circa continui compositionem, propter quas enervandas inuenta est, & ut hoc ostendant, multa Hurtadus, & Arriaga scribunt. Ceterum quia prolixum satis esset ad continui compositionem iterum redire, & quia illius difficultates, sine his turgidis indivisibilibus, ut fert materiæ difficultas iam explicui, nolo modo cum his Authoribus contendere, an horum indivisibilium tumor utilis sit ad has difficultates complanandas, vnum tantum affirmo vtilissimum fore, si admitti liceat, ad difficultatem de qua nunc agimus penitus exhauriendam: si enim supponatur idem indivisibile posse modo minus, postea maius spatium occupare, facile explicabitur, quomodo possit idem corpus constans eisdem indivisibilibus modo minus, postea maius spatium replere, ideoque non ut inutilis hic dicendi modus reiiciendus est, si aliàs non aliis rationibus impugnetur, licet enim reliqua omnia, quæ ad continui compositionem spectant æque difficilia his indivisibilibus admissis remaneant, hæc vna illaque ex prolixioribus totius Philosophiæ difficultas complanata remanebit, quod emolumentum ex horum turgentium indivisibilium admissione percipi sat erit.

Afferit Hurtad. §. 104. huius sententiæ leuitatem videre, quia illius auctores tenentur fateri vnum indivisibile posse occupare spatium vnius vlnæ: nam lacte rarefcente aiunt puncta occupare octuplo maius spatium, & replicant singula puncta in decem spatia. Quod adeo absurdum esse ait Hurtadus, ut pudeat impugnare. Nam in horum sententia vnum punctum erit maius alio, quia maiorem habet extensionem. Quia palmus ideo est maior alia semipalmi mensura, quia porrigitur ad maius spatium, sed in hac sententia vnum punctum porrigitur ad maius spatium: ergo est maius alio puncto. Rogo Hurtad. an indivisibile quantitatis Eucharistiæ occupans spatium diuisibile maius sit indivisibili alius quantitatis occupante indivisibile spatium, vel se ipso antequam definitiue in toto illo spatio præsentaretur. Similiter Rogo an Angelus existens in toto spatio huius cubiculi maior sit Angelo existente tantum in dimidio eiusdem spatij? Negativè respondet: ergo non rectè infert Hurtadus: hoc indivisibile occupat maius spatium: ergo est maius alio. Respondetis pro Hurtado indivisibile Eucharisticum esse in spatio diuisibili definitiue totum, in hoc spatij indivisibili, & totum repetitum in alio indivisibili spatij, & sic fieri præsens maiori spatio, quam aliud indivisibile, quin sit maius illo, idemque contingere

in Angelo. Hæc ita sunt, sed eundem existendi modum tribuunt prædicti recentiores indivisibili inflato, respectu illius spatij, cui per inflationem correspondet, quem Angelo Theologi ascribunt; ut satis ostendi, dum prædictam sententiam explicui. Neque cum illis contendendum est, an illa præsentia definitiua, vel circumscriptiua dicenda sit, quia etiam in ordine ad spatium, quod indivisibile occupat eodem modo se habeat respectu eiusdem indivisibilis, ac se habet præsentia Angeli respectu eiusdem Angeli in ordine ad suum spatium, & ob hanc rationem instar definitiue se habeat, tamen absolute definitiua non est, quia præsentia definitiua corporea constituit, omnes partes corporis inter se penetratas, quod non habet hæc præsentia, quam recentiores tribuunt inflatis indivisibilibus, ex vi cuius vnum indivisibile non penetratur adæquatè cum indivisibilibus immediatis, neque adhuc inadæquatè cum mediato. Instabis hunc modum præsentandi proprium esse rei spiritualis, & non corporeæ, nihil enim corporeum potest repeti in duplici spatio naturaliter, & si miraculum Eucharisticum non intercederet, adhuc supernaturaliter idem corpus posse existere in duplici loco frequentius negaretur, quod adhuc multi per præsentiam circumscriptivam fieri posse constanter negant. Respondeo nullum ens spirituale, aut corporeum posse existere naturaliter in duplici loco adæquatè, quod omnes fateantur, posse tamen Angelum spirituale esse in duplici loco, inadæquatè, & hunc præsentis modum, non adeo proprium esse rei spiritualis ut non possit rei corporeæ convenire, fert enim tota Thomistarum schola formam corpoream viventis sensentis indivisibilem esse, & in loco diuisibili præsentari totam in hoc spatio, & in illo totam, quem præsentis modum gratis dicti recentiores tribuunt indivisibilibus inflatis, in quo impugnanda tota Hurtadi opera infumenda esset non in inferendo vnum indivisibile esse maius alio.

Arguit Hurtadus admissis his indivisibilibus inflatis necesse non esse, ut vnum punctum esset extra spatium aliud, quia hæc puncta penetrari possunt, secundum spatium inadæquatè; ergo penetrari possunt secundum spatium adæquatè: ergo sicuti spatium inadæquatè, quod verumque occupat, est utriusque commune, sic spatium adæquatè commune esse possit. Vim ad do illationi, eo ipso quod duo indivisibilia penetrantur secundum aliquod spatium quantumvis inadæquatè, penetrantur secundum se tota, quia totum hoc indivisibile, & totum illud sunt in illo inadæquatè spatio utriusque commune: ergo si penetrantur secundum se tota poterunt penetrari adæquatè, ita ut non existat aliquod spatium, quod utriusque commune non sit. Dices præsentias, non secundum se totas penetrari, ratione quarum repugnat penetrari indivisibile secundum se totum. Contra, præsentia indivisibilis spatij respondens spatio diuisibili, vel est diuisibilis, vel indivisibilis: si diuisibilis tota penetratur secundum se totam, sicut penetratur totum punctum ob eandem rationem: si diuisibilis partes sunt eiusdem speciei, & eiusdem omnino rationis, ergo sicuti penetratur hæc pars præsentia poterit alia penetrari, & sic penetrari tota præsentia.

Recentiores, qui hanc indivisibilium inflationem innoverunt, quia negare non sunt ausi vnum indivisibile alteri immediatum cum illo penetrari, & aliàs volvere defendere indivisibile additū indivisibili facere maius, tenentur hanc penetrationem, inadæquatam indivisibilium concedere, imò ut illā inveniunt hæc indivisibilia inflata defendenda suscipere, quos aliquantum premit ratio facta. Verum tamen adhuc possunt aliquo modo respondere, proprium esse quantitatis extensionem fundare, ad quam requiritur, indivisibilia, quibus componitur, non adæquatè penetrari, & ideo illis hæc adæquata penetratio naturaliter repugnat, licet non repugnet penetratio inadæquata, quia hæc admissa adhuc indivisibilia possunt extensionem fundare.

Secundum prædictum dicendi modum inadæquata penetratione potest corpus condensari, & rarefcere sine nova punctorum inflatione, sed præcisè per maiorem, minoremve penetrationem densius, rariusve constitui, quo enim indivisibilia sunt minus penetrata, maius spatium occupabit corpus, & rarius dicitur, & quo magis penetrantur indivisibilia, minus spatium replebit corpus, & erit magis densum. Secundum hæc dicendi modum necessum non erit modo magis, postea minus tumentia indivisibilia condensare, sed semper cum eadem tumoris mensura, quam naturaliter

naturaliter exigant, & cum maiori minorive penetratione.

Ceterum ad explicandam difficultatem, quam nunc tractamus, si alia, quæ ad continui compositionem spectant, aliunde explicentur, necessum non est hanc inadæquatam penetrationem tumentium indiuisibilium concedere, sed illa omnino non penetrata constitui possunt, & rarefactio, & condensatio rectè defendi poterit, ex eo, quod eadem indiuisibilia magis, minusve intumescant ratione temperamentorum, seu diuersorum accidentium, cum quibus diuersas vocationes magis, minusve extensas in ordine ad spatium exigunt indiuisibilia, sicut enim Angelus indiuisibilis pro sua libertate intra certam latitudinem potest se in maiori minorive spatio constituere, sic punctum indiuisibile intra latitudinem determinatam. v.g. intra octo indiuisibilia spatij poterit ratione diuersorum accidentium in pluribus paucioribusve spatij indiuisibilibus constitui.

Arguunt Hurtad. disp. 4. de generat. §. 26. hæc indiuisibilia inflata porrigenda esse versus dimensionem, & effectura impenetrabilitatem lineæ superficiei, & corporis, & illum, qui videret corpus rarum non visurum, nisi vnum indiuisibile, & illud tantum tacturum: imò nunquam diuidendum esse id, quod manu tangitur, in corpore rarissimo, cuius singula puncta occupant palmium loci, neque terram secundam esse, quantumuis gementur ictus, quia indiuisibile nunquam secari, aut diuidi potest quæ si ita esset nulla alia parua vtior esset ad excipiendā vulnera, quam indiuisibile ignis, quod cum rarissimum sit multum spatij occupabit, & nunquam diuidi poterit. Hæc omnia leuia sunt, ad tumorem horum indiuisibilium reprimendum, quæ nulla opera dissoluam: concedent recentiores indiuisibile inflatum trinam illam dimensionem fundare in ordine ad spatium, quod prima arrepta via conclusione tradunt. Negabant tacto corpore rarissimo tantum tangi vnum indiuisibile, quia licet punctum indiuisibile sit summè turgendum, & summè rarum, non excedet octo indiuisibilia spatij, quæ non facient maiorem extensionem minima acus acie, quæ plurius in octo indiuisibilia poterit diuidi. Neque punctum indiuisibile ita potest turgescere: vt repleat spatij palmum, in quo forsitan plus quam decem millia in diuisibilia continentur. Ecce quo modo non bene clypeatus quis abiret ad excipiendā vulnera arrepto indiuisibili quantumuis raro, exiguum esset ad minimam corporis particulam cooperiendam. Sed demus indiuisibile posse intumescere donec palmum repleat, inconueniens non esset tunc nulla arte scindi posse, quia semper maneret indiuisibile, & diuisionis incapax, neque ideo pars illa corporis, quæ indiuisibilis sic inflata esset operā ab imminenti ictu satis esset tuta, quia posset huius indiuisibilis tumor, qui in præsentia illi superaddita consistit, deprimi alius corporis compressione, qua posse condensationem fieri etiam contra proprii temperamentum exigentiam multi defendunt.

Eadem indiuisibilia inflata Hurtadus, & Arriaga impugnant à paritate durationis, & temporis realis. Horum impugnatio forsitan vtilis erit ad probandum non hac ratione rectè defendi indiuisibile additum indiuisibili facere maius, cum in duratione successiua diuisibili, illius extensio defendenda sit, sine indiuisibilibus durationis inflatis, de quo non disputo, hæc enim omnia aliter ergo compono. Verumtamen ad rem nostram nullum potest desumi argumentum ex duratione rerum successiuarum, in qua non admittenda hæc instantium inflatio, ad indiuisibilia spatium diuisibile occupantia impugnanda. In primis enim, qui negant durationes superadditas facile dicent instantes temporis intumescere non posse: quia nihil illi reale superadditur, per quod intumescat, & punctum quantitatis intumescere, quia illi aduenit præsentia superaddita, per quam constituitur intumescens, seu occupans spatium diuisibile. Secundò etiam si admittatur duratio superaddita, nullus concedit posse corpus, aut Angelum per durationem superadditam simul coexistere duplici spatio temporis adhuc inadæquato, & omnes admittunt posse eandem entitatem per præsentiam superadditam constitui in duplici spatio loci inadæquato. An verò ex suppositione, quod præsentia esset superaddita posse dari aliqua, quæ eadem indiuisibilis indiuisibiliter perseverans idem corpus successiue in diuersis temporis partibus durans constitueret, non est huius loci examinare. Nonnihil de hac re dixi Contr.

Physic. Punct. 1. & iterum dicam Controuers. 6. de anima Puncto 5. §. 4.

Dixerat Arriaga disp. 16. Physicæ iam citata num. 136. his indiuisibilibus inflatis vni tantum difficultati satisfieri, postea num. 161. dolet se id dixisse, asseritque, neque huius quæ in præsentiarum agitur de raritate, & densitate posse prædictis indiuisibilibus inflatis fieri satis, quod sic probat. Supponit in primis vt rem omnino certam, non esse necessarium in rerum naturā, vt si aliquid corpus rarefcat aliud ei æquale condenfetur. Quis enim dicit, ait ille, si butyrum calore ignis, vel Solis dissoluatur eo ipso iam aliud corpus in aliquo angulo existens condenfari? Quis hoc enuntiabit? Aut quomodo butyri dissolutio in distans condensationem operabitur? Sic quando quis stupam in ignem proicit, quæ accensa rarefcat, aliud corpus procul condenfari nemo dicet? Neque illa, quæ sunt prope ignem poterunt dici condenfari, cum illa potius calore ignis rarefcent. Quid quando magna sylua accenditur, & omnia calore dilatantur, vbi inuenietur æqualis alia sylua, quæ densetur? Hoc posito sic arguit. Non potest raritas explicari per maiorem punctorum inflationem: ergo per hanc illius difficultati non fit satisfactio. Antecedens probat: non possunt puncta magis intumescere quam antea, nisi alia tantumdem stringantur, si antea non aliqua vacuitas, quam modo repleant, vel si modo non penetrantur cum aliis corporibus: neutrum fieri potest: ergo indiuisibilium inflatio omnino inutilis est ad rarefactionem explicandam. Hoc argumentum non specialiter pugnat contra hunc dicendi modum, sed contra omnes sententias, quæ rarefactionem, & condensationem non explicant per intromissionem, & expulsionem corpusculorum, quapropter idem fieri poterit contra sententiam Hurtadi, & aliorum omnium, qui cum Arriaga non sentiunt in rarefactione, & condensatione sic explicanda per hanc corpusculorum intromissionem, & aggregationem, quapropter non ex illo peculiaris hic dicendi modus peculiariter inuisus esse debet. Secundò existimo nullius esse momenti, facile enim dici poterit condensationem contingere non ratione temperamentum, sed ratione compressione alius corporis, quod per dilatationem sui, & motum localem in rarefactione exercitum impulsu imprimi aliis corporibus, medio quo, illa comprimunt, & violenter contra proprium temperamentum facit condenfari, & ad angustiora loca reduci. Quem impulsu imprimet ignis, & omnia corpora, quæ prope illum rarefcent, vicinis corporibus, quæ per hunc impulsu comprimuntur ad minus spatium, vel recedent, & impulsu imprimunt aliis corporibus, quæ comprimantur, vel recedant, & alia corpora comprimantur, quæ non possint vicina alia amouere à proprio loco, vel intra proprium ad minus spatium coëscere. Ex his infero omnino falsum esse quod tanquam certum supponit Arriaga videlicet, necessarium non esse condenfari aliquid corpus, cum aliud rarefit, & facile rationem reddi huius condensationis, corpus enim rarefactum impellit sibi immediatum quod si aliud non potest moueri intra se ipsum colligitur, & condenfatur, vt locum exhibeat corpori vicino, rarefacto, si verò corpus, quod à rarefacto impulsu patitur, aliud moueat, illud aliud condenfabitur, vel aliud mouebit, & sic diuersa corpora mouebuntur, vnum medio alio, quovsq; perueniant ad aliquod, quod non possit corpus sibi vicinum mouere, & ita necessarium fit illud condenfari.

Omnia, quæ contra indiuisibilia inflata, & virtualiter in ordine ad locum diuisibilia apud alios inueni, adduxi, & solui, quia plures recentiores vidi maximopere stomachantes in hunc dicendi modum, apud quos nullam efficacem rationem reperi, quæ directè illum impugnet. Quapropter, etsi mihi non placeat modus iste philosophandi, non illum alia ratione impugno, nisi quia nullo nititur fundamento, neque vlla est ratio, seu coniectura, quæ illum situdeat, sed tantum ad hanc difficultatem, aliasque similes fugiendas argumentorum vi extortus est. Neque illa, quæ nulla fulciuntur auctoritate, neque ratione aliqua propugnantur maiori indiget impugnatione. Secundò, quia etsi modus indiuisibiliter existendi in spatio diuisibili alicui entitati corporeæ conuenire possit, vt de facto formis materialibus perfectorum animalium conuenire Thomistæ defendunt, tamen nulli entitati corporeæ de facto concedendus est, sine aliqua speciali ratione, quæ illum suadeat, cum omnes, quas sumus experti, videamus diuisibiliter existere absque repetitione eiusdem entitatis in duplici spatio.

spatio. Et si hac lege non adstringimur liberum cuique erit defendere totum Lunæ cælum esse indiuisibile secundum substantiam, & tantum diuisibile virtualiter in ordine ad spatium diuisibile, in quo constituitur per repetitionem eiusdem entitatis secundum se totam in quolibet puncto spatij. Quod si obicias secundum has partes esse lucidum, & non secundum illas, & diuersa accidentia in diuersis partibus fortiri: Responderi licebit hæc accidentia eandem indiuisibilem substantiam in diuersis locis inter se distantia comitari, sicut intellectio afficit animam in cerebro vel visio corporea in pupilla oculi, & sensatio eandem indiuisibilem animam rationalem in pede comitatur, & informat cum distantia harum operationum inter se, & indistantia earundem ab anima.

PUNCTUM IV.

Alia communis sententia impugnatur.

Communis sententia docet raritatem, & densitatem consistere in qualitate quadam quantitati inherente ratione cuius quantitas contrahitur, vel extenditur ad maius, vel minus spatium. Iuxta hanc sententiam duo reperiuntur in raritate, qualitas quæ est radix dilatationis, & extensionis localis, & ipsa dilatatio, seu localis motus ex vi cuius producitur præsentia per quam corpus constituitur formaliter extensum, & occupans maius spatium. Similiter in densitate reperitur qualitas, quæ est radix compressionis, & compressio, seu motus localis ex vi cuius producitur præsentia per quam corpus in minori spatio formaliter constituitur. Ita Patres Conimbric. lib. 1. cap. 5. q. 17. art. 1. & alij plurimi, quos ipsi referunt, & P. Hurtadus disp. 4. sect. 4. & 5. An verò formalis ratio raritatis consistat in motu locali orto ex qualitate, an in ipsa qualitate non omnes eodem modo explicant. Patres Conimbr. art. 1. citato affirmant raritatem aliquando significare partium positionem, aliquando qualitatem sensibus subiectam. Vtramque partem docent tradi à D. August. in suis categoriis c. 12. & ab Arist. variis in locis, & ab aliis plurimis, quos ipsi referunt. Hurtadus sect. 5. §. 45. docet motum localem complere effectum secundarium raritatis, & densitatis, non tamen in illo formaliter consistere, sed in qualitate, quam docet non distingui in corporibus sublunaribus à temperamento primarum qualitatum; in cælis verò hoc temperamento carentibus in alia qualitate specie distincta.

2 Non multum contenderem cum his authoribus de hac qualitate si semel admittam de medio tolleretur difficultatem, quæ in hac re nos premit, quomodo videlicet eadem quantitas cum eisdem numero partibus, possit modò plures, & postea pauciores spatij partes occupare sine penetratione ipsarumve inter se bilocatione. Hæc est enim difficultas, quæ vnicè in hac re premit, in qua soluenda imponendus est labor, non in assignanda causa motus localis, quo corpus rarum ad maius distrahetur spatium, vel ad minus contrahatur, quod tantum præstat hæc qualitas, neque in opinione, quæ in illa raritatem, & densitatem formaliter constituit, quidquam aliud subiecto præstare potest, quam esse causam motus ex vi cuius parua substantia magnum repleat spatium, & substantia magna exiguo definatur spatio sine repetitione partium in duplici loco, neque earundem penetratione.

3 Ingenuè fateatur Hurtad. hanc difficultatem esse fere insuperabilem, respondet nihilominus corpus occupare idem spatium, quod antea occupabat, nullam verò partem retinere idem spatium cum rarefcit, quod antea replebat: sicuti cum mouetur totum cælum permanet in toto spatio in quo antea erat, & quælibet pars illius spatium antiquum relinquit, & aliud acquirit. Ex hoc provenire ait Hurtadus partes corporis iam rari, & antea densi non occupare duplex spatium, sed vnum maius illo, quod antea occupabant. Laborat Hurtadus in argumento soluendo, & sanè sine suæ qualitatis ope, hæc enim nihil iuvat ad præsentem solutionem, quam sic impugno. Quando corpus densum rarefcit, spatium quod occupabant omnes partes corporis dum erat densum occupatur modo medietate earundem partium, sed antea respondebant omnes partes corporis partibus spatij, quælibet pars corporis distincta distinctæ parti spatij, ita ut æquatur commensu-

rantur partes corporis cum partibus spatij: ergo modo cum eadem partes corporis paucioribus spatij partibus respondeant, non poterunt æquatur commensurari, ita ut cuiuslibet parti corporis ab aliis distinctæ distinctæ pars spatij distincta à reliquis spatij partibus respondeat.

Confundere forsitan difficultatem prærendes dicendo in partibus proportionalibus infinitis non posse reperiri plures, neque pauciores cum omnes sint infinitæ, & non sit vnum infinitum maius alio. Doctrinam hanc nullo modo sustinendam impugnavi Contr. 14. Physic. Punct. 5. luce enim clarius apparet esse plures partes in tota manu, quam in vno digito, quantumvis in digito infinitæ sint, quia manus comprehendit totam multitudinem infinitam partium repletam in digito, & insuper infinitas alias partes in eadem manu contentas, quod negabit nemo, qui apertè non neget totum esse maius sua parte. Deinde idem argumentum ad partes aliquotas determinatas transfero: pauciores partes aliquotæ spatij correspondent partibus aliquotis corporis iam densi, quam antea respondebant eisdem numero partibus corporis rari: ergo antea respondebat duplex pars aliquotæ spatij, eidem parti aliquotæ corporis vel modo eadem pars aliquota spatij correspondet duplici parti aliquotæ corporis: ergo vel antea dabatur partibus bilocatio, vel modo datur earundem penetratio. Fugies ad præsentiam, & dices hoc provenire ex eo quod corpus rarum maiorem præsentiam habeat, quam densum. Inanis fuga semper enim te fugientem eadem insequitur difficultas, illam tibi iterum in præsentis obicio. Patres præsentia, & partes subiecti debent commensurari cum correspondentia distinctæ partis præsentia ad distinctam partem subiecti: ergo non possunt eadem numero partes subiecti densi correspondere paucioribus præsentia partibus eademque numero partes subiecti iam rari pluribus præsentia partibus responderesi antea non respondebat duplex pars subiecti eidem parti præsentia, vel si modo non respondet eadem subiecti pars duplici parti præsentia: illud primum diuersarum partium penetrationem, hoc secundum bilocationem dicit. Reddis iterum ad maiorem magnitudinem partium, quam constitues in præsentia corporis rari, & non maiorem numerum. Contrà: non potest eidem parti corporis maior, & minor præsentia respondere, nisi per maiorem aliquid partis replicetur in duplici spatio, vel per minorem aliquid partis penetraretur cum alio eiusdem partis: ergo non possunt eisdem partibus corporis maiores & minores præsentia partes respondere. Secundo: non possunt esse partes maiores, quin sint plures: ergo si correspondent corpori raro maiores partes præsentia, quam corpori denso, correspondent etiam plures partes. Antecedens probo: quo pars est maior, est magis diuisibilis, quo magis diuisibilis est, continet in se plura membra diuidentia, in quæ diuidatur: ergo quo maior est pars continet in se plura membra diuidentia in quæ possit diuidi: sed hæc membra diuidentia sunt partes, quibus pars illa magna componitur: ergo quo partes sunt maiores, partes quibus totum componitur plures sunt. Sicut plures partes absolute, & non solum maiores partes continet totum quod componitur tribus vlnis, quam totum quod componitur tribus palmis, licet comparatione facta palmorum ad vlnas tot sint partes palmares in vno toto, quot vlnares in alio.

Aliqui cum præcipuo argumento petuntur ex correspondentia earundem partium quantitatibus ad plures, & pauciores spatij partes, respondent spatium imaginarium esse puram chimæram, & quid fictitium, quod concipitur instar corporis, quod repleti dicimus, & ita si partes eiusdem corporis non sint plures numero, sed tantum extensiones, idem de partibus spatij dicendum est. Spatium imaginarium quid esse fictum tradidimus cum communi sententia: verum tamen sæpè dixi quod in præsentia notant Hurtadus, & Arriaga, nihil posse de præsentis disputari, si spatium imaginarium fixum, & immobile non apprehendimus corporeque repletum, ita ut non possit duplex corpus eodem spatio contineri. Non tamen necessarium erit argumentum de spatio imaginario conficere, & ut possimus tota huius materie difficultate aduersarios opprimere. Idem enim fit de præsentia reali facta comparatione inter partes subiecti, & partes præsentia: ut nuper arguebam, & eadem ratione fieri potest, facta comparatione locati ad locum realem, idem enim locatum modo densum responderi his partibus loci realis sibi contigui, & postea rarum his,

his, & aliis respondet, & semper retinenda est commentatio partis locati ad partem loci, neque una pars locati potest duobus loci partibus respondere, ne duplici afficiatur presentia, neque potest eidem loci parti duplex locati pars respondere, ne utraque penetraret.

6 Neque cenſeo bene dixiſſe Hurtadum rationem formalem raritatis conſtituendam eſſe in qualitate, ſeu in primarum qualitarum temperamento, quia etiamſi talis qualitas daretur, non in illa, ſed in præſentia, ſeu extenſione actuali formalis raritatis conſtituenda eſſet, quod ſic ſuadeo: Qualitas ſecundum illos, qui dari affirmant, tantum eſſet, radix extenſionis localis, ratione cuius corpus, maius, minusve occuparet ſpatium: ſed ratio formalis rari, & denſi, ut conſtat ex utriuſque definitione eſt occupare ſub parva quantitate magnum ſpatium, & ſub magna quantitate minus ſpatium: ergo ratio formalis rari, erit forma illa, ratione cuius parva quantitas magnum ſpatium occupat, & ratio formalis denſi erit forma, ratione cuius magna quantitas paruum occupat ſpatium: ſed hæc ratio eſt præſentia localis per motum producta: ergo in hac formaliter conſtituenda eſt raritas, & denſitas, & radicaliter, & quaſi efficienter in qualitate, quæ hanc extenſionem exigeret.

7 Video poſſe reſpondere Hurtadum non definiſſe Ariſtotelem rarum, & denſum per conceptus primarios, ſed ſecundarios, & ita conceptum primarium rari non eſſe ſub parva materia magnam habere dimenſionem, ſed habere qualitatem, ſeu temperamentum, cui hæc magna dimenſio ſub parva quantitate debeatur, id tamen abſque fundamento dicitur, neque de illo multum contendendum eſt. Eſt enim quaſtio de nomine tantum, quia ſive dicatur raritatem conſiſtere in qualitate, ſive in præſentia orta ex ipſa qualitate earſdem qualitates phyſicas cum eiſdem effectibus formalibus, & omnino eodem modo ſe habentibus in ordine ad ſe, & in ordine ad ſubiectum, uterque dicendi modus admittit. Iuxta ſententiam aſſerentem rationem formalem raritatis conſiſtere in temperamento primarum qualitarum, ſeu in qualitate, dicendum eſt corpus Chriſti in Euchariftia definiſſe exiſtens eſſe formaliter rarum, & tantum eſſe impeditum effectum ſecundarium raritatis. In ſententia, quæ entitatem conſtituit in extenſione actuali dici debet corpus Chriſti in Euchariftia exiſtens eſſe rarum radicaliter, & non formaliter: ni vellet aliquis defendere adhuc eſſe formaliter rarum, quia præſentia definitiva, & circumſcriptiva ſpecie non diſtinguuntur, ſed definitiva dicitur plures circumſcriptivas, quas Chriſtus habet in Euchariftia, quarum quolibet ſecum ſumpta Chriſtum conſtituit præſentem eodem modo, quo eſt in calis; vide, quæ de his præſentibus dixi Controu. 15. Phyſic. Punct. 6. & caue ne occaſionem præbeas, vt aliquis ſiniſtrè hunc dicendi modum interpretetur, eſt enim fide ſanctum Chriſtum eſſe ſecundum ſe totum, & ſecundum quamlibet ſui partem in tota hoſtia, & in quolibet puncto illius, quod omnes vocant eſſe inextenſum, ideò cautè loquendum eſt, ſi dicendum eſt Chriſtum in Euchariftia eſſe extenſum, quia id ſonat non eſſe totum in tota hoſtia, & totum in quolibet parte, & in quolibet puncto illius, & ita nunquam hæc propoſitio abſolute proferenda eſt: Chriſtus eſt extenſus in Euchariftia, ſed ſi modus ille ſuſtinendus eſſet, dici deberet: Chriſtus in Euchariftia habet extenſiones ſemel, & iterum in Euchariftia repetitas ex vi quarum eſt præſens definitivè totus in toto, & totus in quolibet parte, & in quolibet ſpatij puncto.

PUNCTUM V.

Verior eligitur ſententia.

1 Aſſero cum Ochamo opuſculo de Euchariftia, Gabriele in Canone ſeſtione 45. Valleſio 4. Phyſic. text. 84. & in Contr. ad Tyrones, Arriaga diſp. 6. Phyſic. ſect. 9. ſubſect. 2. & plurimis recentioribus rarefactionem fieri per intromiſſionem corpusculorum in partibus intimis corporis cum ſeparatione locali continui, & condenſationem conſiſtere in negatione intromiſſionis horum corpusculorum, ſeu in expulſione ipſorum, cum partium continui coniunctione. Vnde corpus illud, quod intra ſe pauciora corpuscula diuerſe rationis, ſeu non unita continet, minus rarum dicitur, & magis rarum, quod plura includit, quod

Franc. de Ouedo, Philoſoph. Tom. I.

autem nullum incluſerit illud erit ſummè denſum, & occupabit minus ſpatium, quod non penetratum poteſt occupare, nulla enim compreſſione, neque qualitate poterit ad pauciores redigi partes abſque penetratione partium inter ſe. Hæc ſententia eodem omnino modo explicanda eſt ab omnibus, qui illam amplectuntur, continet enim materiam valde phyſicam nullis rationibus metaphyſicis, neque ſubtilibus diſtinctionibus ſubiectam. Dixi rarefactionem fieri cum ſeparatione partium continui, & condenſationem cum coniunctione earundem partium, non verò cum diuiſione, & unionem, quia non quotieſcumque datur noua rarefactio, datur noua diuiſio, licet hæc neceſſaria ſit ad rarefactionem, quia non poſſunt partes localiter ſeparari ſi diuiſæ non ſint, poſſunt enim partes diuiſe prius eſſe localiter coniunctæ, & poſtea ſeparari ſine noua diuiſione, quod ſufficiens erit ad rarefactionem. Similiter quando expelluntur corpuscula, ſufficit partes illas, quæ antea erant ſeparatæ, & diuiſæ, localiter coniungi, etſi non vniantur inter ſe, vt corpus denſum conſtituatur. Vnde non probo, quod docet Arriaga num. 196. videlicet condenſationem ex communi apprehenſione dicere maiorem partium unionem, tantum enim importat maiorem partium localem approximationem, quam iuxta quancumque ſententiam in corpore denſo reperimus, ideò non ex maiori unionem, quæ neceſſaria non eſt in corpore denſo, neque ex maiori approximatione, quam ſtatuit omnis ſententia, rectè Arriaga noſtram opinionem deducit.

2 Moueor ad hanc ſententiam ex aliarum impugnatione, iuxta quas inſuperabilis eſt huius materie difficultas, quæ in hac ſententia optimè explicatur (quod illius præcipuum fundamentum eſt): rectè enim intelligitur, quomodo idem corpus maius ſpatium occupet, quando eſt rarum, ac quando eſt denſum, quia rarefactione hoc modo conſtituta corpus rarum non occupat plures, neque maiores ſpatij partes, ſed magis diſtantes inter ſe, quarum diſtantia repletur aliis corpusculis occupantibus ſpatium interiora. Quæ omnia ſine partium penetratione, neque repetitione præſentiarum optime intelliguntur, quæ maximo opere argunt aliarum ſententiarum authores. Hanc corpusculorum intromiſſionem poſſibilem eſſe, & de facto dari effecaciter ſuadent experientia, quas adducit Arriaga, ex aqua, quam feruentem videmus bullas quaſdam facere, quæ aère replentur: ergo ſicuti intromittitur aër in illa ſpatia intra bullas contenta, poterunt alia corpuscula, vel idem aër intromitti in oleum, lac, & alia corpora rarefacta, quibus introductis occupabunt corpora illa in ſe includentia corpuscula alia partes ſpatij diſtantes, & maius ſpatium occupare dicentur. Secundò negari nequit carnes viuientium, papyrum, ligna, & alia quam plurima corpora habere poros plenos minutulis aliis corpusculis ſanguinis, vel aëris, aliſue rationis, imò in ferro duriffimo poros aliquos communis ſtatuit ſententia, & plerique affirmant ferrum candens habere portiunculas aliquas ſubſtantia ignis inclufas in poris. Et P. Hurt. aëris horum corpusculorum in hac difficultate impugnator illa concedit intromiſſa in quocumque alimento, illum legito diſp. 1. ſect. 10. ſubſ. 4. S. 135. vbi aſſerit omne alimentum habere poros repletos aëreis, terreſque vaporibus, & neque nomen ipſum corpusculorum exhorruit, illius ſunt verba. *Hi vapores, & corpuscula poros repletia impediunt, &c.* Neque ſpecialis alia ratio inuenire poterit Hurtad. propter quam hæc corpuscula in alimentis propugnet, & in aliis corporibus impugnet. Nihil ergo obſt, ſed multa iuuant vt dicamus, papyrum, lac, oleum, viuientium carnes, & alia corpora, rareſceri per intromiſſionem aëris, ſanguinis, aliorumve corpusculorum replentium poros corporum, quæ rareſcunt, & hæc ratione carnem infantis humore plenam rarum eſſe, carnem verò ſenis iam ſiccā hoc humore vacuam clauſos habentem poros denſam conſtitui: hos enim poros, quos omnes auctores admittunt, & ipſis oculis cernimus in his corporibus plenos aliis corpusculis, poſſumus in quibuſcumque aliis corporibus raris abſque vllò inconuenienti concedere, & clarè naturam rarefactionis explicare.

3 Rurſus ſecundum hanc opinionem expeditius assignatur corpus, quod repleat ſpatium relictum à corpore, quod ex raro ſit denſum, corpuscula enim ab illo expulſa in ſpatium relictum ſuccedunt ſine noua vicini corporis rarefactione. Inſuper iuxta hanc opinionem ratio redditur, propter quam corpora calida rareſcant, & condenſentur frigida, calor enim poros aperit, vt illa corpuscula ingrediatur, &

ſi ideò

idē Medici dum medicamento aliquo per iuxta-positionem vtuntur partem illam in qua medicamentum exercetur calore fouent, vt illius pori aperiantur, & tenues medicamenti partes in intimos poros se insinuant. Frigus vero partes corporis inter se coniungit, & corpuscula intro-missa pororum compressione expellit, viamque aliis, eis-demve iterum ingressuris occludit. Vltimō iuxta hanc sen-tentiam optima ratio redditur propter quam corpora val-de dura, v.g. ferrum etsi minimam calorem concipiant, nun-quā rarefiant. Quia cum hæc corpora diuisioni resistent, & illius partes difficile separentur, & rarefactio facienda sit per separationem partium, & earundem diuisionē, si hæc non supponatur iam facta, fit rarefactionem in his corpo-ribus contingere non posse; quia illorum partes separare non valet calor, neque corpusculis extraneis viā aperire.

PUNCTUM VI.

Argumenta soluta.

- 1 **C**ontra opinionem modo traditam acriter inuehitur Hurtad. sect. 3. omnia argumenta ab ipso adducta eo-dem ordine referam, & haud difficile mihi erit claram adequatamque illorum adhibere solutionem.
- 2 Obicit primò Hurtadus, sequi ex prædicta sententia corpus densari, & rarefcere quoties aërem attrahit, & expellit ridiculumque esse consequens, quis enim dicet os rareferi, eo quod infletur, & vtrum fieri rarū cum aëre repletur, & densum cum ab illo aër excutitur, & folles simili-ter rarefcere, & densari cum a fabro mouentur. Conse-quentia patet, quia per attractionem aëris intericitur aër inter partes oris, vtris & follium. Resp. has aëris attractio-nes non esse rarefactiones, quia rarefactio non est, quæcū-que aëris attractio, sed illa quæ fit per minutula corpuscula in partibus internis corporis excipientis talia corpuscula, & quasi per intus positionem seu intimam corpusculorum asperionē. Quando verò aër attrahitur ore, vel intra vtrum vel folles continetur non per corpuscula, sed per magnam aëris quantitatem receptam vtre, vel ore trahitur aër.
- 3 Obicit secundò nimio frigore disrumpitur vas plenum aqua quia hæc glaciatur, quod non fieret si corpuscula intra aquam inclusa ponerentur extra illam: ergo non datur in condensatione talium corpusculorum expulsio. Minorem probat: corpuscula, quæ a se expelleret aqua per conden-sationem essent sufficientia replere spatium illud, quod intra vas relinquunt partes aquæ, quæ per coniunctionē, & earum vnionem condensatur: ergo etiam si vas non disrum-peretur non daretur vacuum. Sed disrumpitur, ne detur vacuum; ergo nulla sunt corpuscula, quæ possint replere spatium, quod relinquit aqua iam densata. Respondeo vas frangi præ nimia frigiditate, quæ partium illius dissoluit vnionem, non quia imminuat vacuum, neque quia hoc da-retur, etiam si non disrumperetur. Vas non disrumpi, ne de-tur vacuum efficaciter probat Arriaga, ex eo quod non confringatur vas, in quo oleum, & butyrum, & alij liquores condensantur, quantumvis illius os sit coopertum. Quod si vas ne daretur vacuum disrumperetur, cum condensatur aqua, disrumperetur similiter cum butyrum condensatur, quia butyrum spatium vacuum relinquit, & natura non minus abhorret vacuum relictum a butyro, oleo, aliove liquore, quam relictum ab aëre. Deinde si vas frangeretur, ne daretur vacuum, vt primum minutula aquæ gutta con-densaretur, confringeretur, quia tunc daretur aliquod va-cuum, quod, etsi minimum abhorret natura. Constat au-tem experientia vas non infringi, quovisque tota aqua, vel certa maior illius pars condensatur. Adde, quod si hæc esset fractionis causa, frangeretur etiam vas æreum, ne in illa vacuum daretur, quia fortior est natura ad vitandum vacuum quam æs ad conseruandam suarum partium vnio-nem; nusquam tamen visum fuit vas ferreum contractum propter aquæ condensationem in illo contentæ. Hæc om-nia omnino certum reddere existimo non frangi vas præ-dicto casu vacui vitandi causâ.
- 4 Obicit Hurtadus: corpuscula per quæ fit rarefactio pos-sent rareferi cum constarent temperamento primarum qualitatum: vel ergo rarefcunt sine intronissione aliorum corpusculorum: vel per alia corpuscula. Si primum dici-mus, iam assignamus aliud rarefactionis genus, quod omni-bus corporibus poterit esse commune. Si secundum illa

corpuscula per quæ fit rarefactio, poterunt iterum per alia rareferi, & sic in infinitum procedemus. Oblitus est Hur-tadus se arguere contra Recentiores, qui continuum ex puris indiuisibilibus componunt, contra quos processus in infinitum inutiliter infertur: quodlibet enim corpus cõstat ex indiuisibilibus finitis, & rarefcere non potest, nisi per alia corpora illo longè minora, quæ si rursus rarefiant per alia minima rareferi debent, ac proinde antequam perue-niatur ad rarefactiones infinitas peruenietur ad aliquam factam per corpusculâ adeo paucis indiuisibilibus compo-sita, vt non possit per alia minora corpuscula rareferi, & si rarefactio illi contingeret per pura indiuisibilia esse debe-ret quæ rursus rarefcere non possent. Neque contra eos, qui continuum Aristotelicum assignant quidquam probat argumentum, quia etiam quodlibet corpus ex se posset rare-feri per aliud, cum in rerum natura non dentur infinita corpora, existentia non poterunt infinitè dari rarefactio-nes, quia nulla rarefactio sine nouis corporibus continge-re potest. Secundò ex corporibus, quæ de facto existunt aliqua sunt omnium minima saltem negatiuè, hoc est adeo exigua, vt nulla alia illis minora de facto existant, quæ nullo modo poterunt rareferi, cum non sint alia per quorum intronissionem rarefcere possint. Item sunt alia corpuscu-la adeo minutula, & adeo dura, vt etiam si alia minora re-periantur non possint rareferi, quia diuisioni non cedunt, non enim quodcumque corpus minus alio ad intronissio-nem per quam fit rarefactio sufficiens est, quia corpus in-tronissum, non vicamque minus sed notabiliter alio mi-nus debet esse.


Arguit quarto Hurtadus: quando homini applicatur vi-trea ampulla (vulgo ventosa) cum stupa concipit ignem aër rarefcit, & postea extincto igne densatur aër, & minus spatium occupat, ad quod replendum attrahitur caro: ergo cõdensatio non fit per intronissionem corpusculorum, quia si ita fieret, corpuscula expulsa possent occupare spa-tium relictum ab aëre, & non esset necessarium carnē at-trahi ad aliquod replendum spatium. Resp. carnem non attrahi, quia aër minus spatium occupet, sed quia calore ignis excitati intra ampullâ pori carnis hominis aperun-tur, & per illos tenues aliquæ partes aëris, vel aliorum cor-pusculorum ingrediuntur ad cuius spatium replendum al-cendit caro. Hac solutione viam præcludo multis, quæ in confirmationem huius argumenti Hurtadus adducit.

Tandem obicit sequi ex nostra sententia lac rarefcens in omnes sui partes diuidendum esse. Consequens est cõ-tra experientiam, & rationem, (quod ego facile conce-dam) sequelam, quam efficacius ostendere debuerat, sic probat Hurtadus. Cum lac rarefcit, omnes partes afficiun-tur temperamento raritatis, & omnes ebulliunt, atque rare-scunt, quia non est maior ratio vnus quam alterius, sed quælibet pars rarefacta secatur alio corpore interiecto: ergo omnes partes secantur, & illarum quælibet ab alia di-uiditur. Rursus parum lactis cum rarefit totum craterem implet, ita vt occupet spatium octuplo maius: ergo quælibet pars ab alia diuiditur corpore alio interiecto, vel sin-gula binaria ab aliis separantur per interpositionem cor-pusculorum. Respondeo lac feruescens aliquas formare ampullas, quarum spatium aër repletur, per quas non di-citur rareferi, quia aër intronissus non est corpusculum, sed notabile corpus, per quod in communi modo loquen-di non dicitur fieri rarefactio, quod tantum ex communi modo loquendi, & applicandi rarefactionis nomen de-pendet, licet per has ampullas aër dicatur occupare multo maiorem partem lebetis, quam antea occupabat. Cæte-rum per plures partes, quæ vicinis corpusculis secantur rarefit non tamen per omnes. Quæ contra hoc adducit Hurtadus nullius sunt momenti, quod facile ostendam. In primis, quod omnes ebulliant non arguit omnes diuidi, quia plures partes vnitæ possunt moueri, & inter se non separari, vt per se notum est. Neque maioris est ponderis quod addit videlicet non esse maiorem rationem cur vna diuidatur, quam alia; quia quando pori alicuius cor-poris aperiantur, vt crebro contingit præcipuè in viuē-tibus aliquæ partes separantur ab aliis, non tamen om-nes: omnes ergo tenentur rationem reddere, cur hæc partes separentur localiter, & non illæ, cum aperiantur pori corporis, quæ vtar ego ad reddendam rationem cur rarefactio secundum has partes, & non secundum illas contingat. Hæc ratio poterit esse diuersum temperamen-tum ex parte subiecti, vel diuersus effectus ab agente productus.

productus, non enim omnes partes subiecti habent temperamentum in eadem indivisibili mensura. Vltimò optimè dici poterit non omnes partes separari, etiam si quilibet habeat temperamentum sufficiens, ut separaretur. b alia: quia nulla pars potest separari ab alia, quovisque habeat corpusculum aliud applicatum, quod occupet intercapedinem relictam, ne detur spatium vacuum inter utramque, & cum non sint infinita corpuscula quæ possint applicari infinitis partibus continui ad replendas infinitas intercapedines, quæ resisterent si infinitæ partes separantur, hinc est, quod non possint omnes infinitæ partes simul separari, sed illæ tantæ, quibus sunt applicata corpuscula. Hæc ratio re dimittit in opinione, quæ continuū ex infinitis partibus componit & magni momenti est in sententia, quæ illud constituit ex punctis finitis, quia licet secundum hanc sententiam puncta, quæ reperiuntur in quocunque corpore finita sint, tanta est illorum multitudo, ut moraliter impossibile sit dari aliam multitudinem æqualem corpusculorum, per cuius corpuscula singula, possint singula indivisibilia continui ab aliis separari.

7 Obiiciunt alij: Cælum habet partes quasdam raras, & alias densas, sed cælum non habet aliqua corpuscula intromissa: ergo rarefactio, & condensatio saltem in corporibus celestibus non fit per intromissionem, & expulsionem corpusculorum: ergo neque in aliis corporibus, cum in omnibus eodem modo fieri debeat. Respondeo corpora celestia, non esse propriè, & strictè rara, aut densa, sed impropiè dici partes raras illas, quæ habent admixtas aliquas particulas aliquo modo, in qualitatibus, seu accidentibus ab aliis distinctas, & partes illas dici densas: quæ constant partibus inclusis omnino similibus, sine hac accidentium diversitate in particulis, quas includunt. Itaque, id quod præstant extranea corpuscula intromissa in corporibus sublanaribus, quæ propriè per illa rarefunt, id dicuntur præstare partiunculae diversæ rationis ab aliis, cum quibus notabilem cæli partem constituunt, ratione quarum partiuncularum dicuntur partes cæli notabiles, satis impropiè rarefactæ, & densæ dicuntur partes cæli, quæ partiunculas istas in se non habent.

8 Vltimò aduerto pro solutione plurium argumentorum non esse idè, corpus esse subtile, & esse rarum: raritas enim consistit in intromissione corpusculorum iam explicata, subtilitas vero in eo quod corpus parum divisioni resistit, & facile secundum sui partes diuidi possit. Ita contingere potest corpus esse minus subtile nullo admixtum corpusculo, & consequenter summè densum, aer enim si purus sit est nimis subtilis, & nihil raritatis habet. Eodem modo distinguatur durities à densitate, hæc enim dicit approximationem partium, & negationem corpusculorum interiacentium, illa vero resistentiam per modum actus primi ad partium separationem, & difficultatem remotionis vnius partis ab alia, quod à densitate nimium distinguitur.



CONTROVERSIA VIII.

De elementis.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit elementum.

1  ELEMENTUM vulgari significatione sumi solet pro primis cuiusvis rei principiis. Sic litteræ scripturæ elementa dicuntur, quia ex illis primò constituitur, & in eadem vltimò resoluitur. Et principia entis naturalis propter eandem rationem totius elementa dicuntur. Solet enim nomen elementum ad materiam primam distingui, quia ex hac primò omnia fiunt, formæ enim (si rationalem excipias, quæ creatur) siue substantiales, siue accidentales, ex materia educuntur, & ex illa tanquam ex prima origine nascuntur, strictius nomen elementum sumitur pro illis corporibus, quæ non constant admixtione qualitarum contrariarum, sicuti sunt ignis, aer, aqua, & terra.

2 Elementum definit Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 3. text. 4. Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

id ex quo primum infuso, ac indivisibili specie in aliam speciem aliquid componitur. Alio modo lib. 5. de Cælo cap. 3. text. 21. elementum est id, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest, aut potentia, aut alii. Definitio secunda in primam relabitur, tantum addit ly cætera corpora, quibus verbis clariùs exprimitur elementum debere esse corpus de prædicamento substantiæ, ac proinde materiam & formam his definitionibus non comprehendi. Cæterum hæc definitio satis difficilis est, & perobscura, nihilominus propter Philosophi auctoritatem, & illorum, qui definitiones has admittunt, in quibus est Angelicus Doctor aliquo modo definitiones hæc explicandæ sunt, quod brevissimè præstabo. In illa potest aliquid diuidi, quæ in se continet, & quibus componitur, & eodem modo, quo est continentia, seu compositio, eo modo est diuisio in illa extrema, non enim poterit diuidi totum aliquod in aliquid formaliter sumptum, quod formaliter sumptum in illo non contineatur. Deinde eo modo dicitur aliquid indivisibile, quo nulla extrema distincta in se continet. Sic materia prima, quæ partes, quibus essentialiter componatur non habet, dicitur essentialiter indivisibilis, licet integraliter diuisibilis sit. Vltimò elementa ut probabo Puncto 4. non sunt formaliter in mixto.

Ex his facile est definire quomodo omnia corpora composita seu mixta possint in elementa resolui, cum enim elementa in mixto formaliter non sint, sed tantum virtualiter hoc est, manent virtutes, quæ propriæ sunt elementorum, sic tantum extrinsecè, tantum diuidi possunt in elementa quatenus qualitates præexistantes in mixto diuiduntur in elementa, quæ succedunt, post corruptum mixti formam compositi ex materia mixti, & formis elementalibus productis. Dicuntur sic diuidi, quia non omnes qualitates, quæ erant in mixto remanent in aliquo elemento, sed tantum aliquæ illarum. Ex his notum fiet quo modo elementum indivisibile dicatur, quia cum non possit resolui in aliud compositum, quod paucioribus gaudeat qualitatibus: hinc fit adhuc ratione harum non posse in alia elementa diuidi, neque alia mixta, quæ potius pluribus qualitatibus, & nunquam paucioribus constant. Dicuntur mixta diuidi in elementa, non quia quotiescunque mixtum corrumpitur in elementa resoluatur, in quibus sint diuise qualitates, quæ erant in mixto, sed semper enim mixtum corruptum in aliud resoluatur, quod earundem qualitarum gaudet temperamento, quia tamen post varias corruptiones vltimò ad elementum formam rursus indivisibilem potest deveniri, dicuntur omnia corpora in elementa diuidi. Ex his notum fit, quomodo cætera corpora in elementa diuidantur, & quomodo elementum indivisibile sit secundum speciem.

4 Posset clariùs, breviusque definiri elementum, corpus, quod ex primis qualitatibus duplici tantum gaudeat. Quod si vera esset Arriagæ opinio, quæ asserit elementa vnicà tantum potiri qualitate, definiendum esset, corpus, quod ex primis qualitatibus vnicà tantum possit.

5 Circa elementorum numerum communi sententiâ ratum est, elementa quaternarium attingere, illudque non excedere. Verumtamen huius conclusionis rationem reddere difficillimum est, nonnullas referam, ex his quæ pro hac conclusione circumferuntur. Ignis est leuissimus: terra est gravissima: ergo debent dari duo alia elementa media, vnum quod habeat prope summam gravitatem, & aliud prope summam leuitatem. In eadem recidit ratio alia desumpta ex elementorum positione: Ignis est in loco supremo, aqua in loco infimo: ergo debent dari duo alia, vnum quod sit prope terram, & aliud quod sit prope ignem, quibus quaternarius numerus completur. Confirmatur eadem ratio, infra cælum tantum sunt quatuor spatia, vnum quod cælum attingit & hoc est summum, aliud maximè distat à cælo, quod est terræ centrum, & omnium infimum, aliud prope infimum, & aliud prope summum: ergo tantum possunt dari quatuor elementa, quæ replent hæc quatuor spatia, siquidem nullum potest dari commune spatium distinctis elementis. Rationes hæc parum roboris habent, quia dato igne summè leui, & terra summè graui non ex eo infertur duo alia elementa media danda esse, sed possent tria, vel vnum, vel nullum: quia immediatè collocari elementum summè leue, & elementum summè graue, non implicat, neque ratio est aliqua, quæ cogat in quatuor partes, seu quatuor spatia diuidere totam cælorum intercapedinem ut quatuor elementa illis spatiis correspondeant, posset enim diuidi in

5 2 tria